



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Ferdinandvm Fvrstenbergivm, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

A D
 FERDINANDVM
 FVRSTENBERGIVM,

De secessu Tiburtino.



*Iucunda quies ! ô blanda papauera
 somni,
 Et pia Lethæis frons medicata va-
 dis !*

Callida nocturnas oculis properare tenebras ,

Dum medijs calo sol calet altus equis.

Vidimus hanc tacito tua spargere tempora succo,

Et geminas vnâ condere nocte faces.

Fusus eras , memini , vitreas Anienis ad undas,

Curua quibus gelidum vallis opacat iter.

Officiosa salix Phæbi summoerat ignes,

Pictâq; natiuum struxerat herba torum.

Densa soporifero nutabat silua susurro,

Miscebantq; leues amnis & aura iocos.

Et volucrum liquido suetarum fluminis alueo

Mille dabant varios guttura mille sonos.

Talis in Aetæis iuuenis Theseius umbris

Concidit, hirsutos sternere fessus apros.

N 2

Talis

Talis & auentum sopor est complexus Iulum,
 Didoni strueret cum Venus alma dolos ;
 Et bene cognatos simulante Cupidine vultus
 Idalias premeret languidus ille rosas.

Ast ego nunc amnem, tua nunc vigil ora tuebar:

Nunc in Callimachi versibus omnis eram :

Nunc mihi fingebam maturas solibus uvas

Ad gelidos fontes pretereuntis aquae,

Purpureosq; auido ducebam gutture succos.

Sepè mihi tales dent mea fata dies.

Querat avarus opes, petat ambitiosus honores:

Sit procùl à tanto nostra furore quies.

Quid, miser, auriferi medio tibi proderit Hermiti

Gurgite Tantaleam semper hiare sitim?

Quid Siculas valles, montiq; propinqua Veseno

Mille bouum gemitu vertere rura iuuat,

Horrea si crescens tibi rumpit & ilia messis,

Teq; simulq; tuas arca flagellat opes?

Aurea sallicito tibi spumant pocula Baccho,

Et vigiles noctes lectus eburnus habet.

Prisca quies tacitis nemorum se condidit umbris,

Et colit angustos vita beata lares.

His mea pauperies populo secreta latebris

Regales animo diuite vincet opes.

Sed

*Sed neque longaevis nemoralis Aricia lucis,
 Nec liquido cepit me vetus Alba lacu.
 Inclyta Romulidum quondam Praeneste voluptas
 Nunc sitit, & nudis horret ubique iugis.
 Explicat urbanos opulentia Tuscula luxus,
 Sed nimiam adscitus displicet arte decor.
 Tiburis Herculei nobis iuga candida rident:
 Stat mea iudicio, Flacce, Camæna tuo.
 Hic veniunt segetes, veniunt feliciter vna:
 Autumnus hic gravidus diuite gemmat ager.
 Hic non falsa suis oleagina silva colonis
 Palladios colles & iuga summa tenet,
 Ipsa quoque asperitas, & rupibus insitus horror
 Temperat ingenium deliciasq; soli.
 Quid loquar ut nitidas Anio pellucidus undis
 Voluat, & electro purior arua riget?
 Iamq; vago cursu & lapidosam exercitus iram
 Mollior Herculeos lambere gestit agros.
 Et veluti flabris crispatum lenibus equor
 Composita repens otia ludit aquae,
 Cum subito lapsu barathrum ruit omnis in imum.
 Condendum inferno iam Phlegethonte putes.
 Rorantes canam latrant aspergine cautes,
 Et furit horribili spuma Aniena sono,*

*Mox vasto exesi sorbetur montis hiatu,
 Precipitatq; trucem per caua saxa fugam.
 Trunca iacent ripis sæcli monumenta vetusti,
 Et premit informes alta ruina domos.
 Hæc Mæcenatem spirant, hæc rudera Flaccum,
 Rudera Pierijs deueneranda sacris.
 Hic illa imperio Romani par lyra mundi
 Subdidit Italico carmina Graia iugo.
 Hac obscura specu stimulante Sibylla calescens
 Numine fatidicum sæpè canebat epos.
 Excitus hisce adytis venit in præcordia vatuna
 Feruor, & acceptis ignibus ossa calent.
 Parte aliâ vastæ semesa cadauera molis
 Sparsa per Argeos conspiciuntur agros:
 Quâ tua magnanimâ labor improbus arte cœgit,
 Fucine, per dociles ire fluenta vias:
 Ausus & obstantis perrumpere viscera montis,
 Roma peregrinis ut frueretur aquis.
 Hic utinam æstiuos liceat mihi condere soles,
 Vesanus Latios cum leo torret agros!
 Icarijq; canis vapor atrox incubat Vrbi,
 Et ducunt mœstæ funera crebra via.
 Hic reducem, inuerso signis pluuiabilibus anno,
 Excipiat modico Roma beata lare;*

Et procul à strepitu fumoq̄, volubilis aula
 Claudantur tacito gaudia nostra sinu.
 Sic placidis annis, & amœno carperer ævo,
 Et fluerent niueâ stamina nostra colo.
 Sed quid agis? tibi vana miser quid somnia fingis?
 Quid rapido iactas irrita verba Noto?
 Te sua Hyperboreus reuocat sub plaustra Bootes,
 Sæua Lycaonij te manet axis hiems.
 Sæpè dies solidos patrijs pulsabere nimbis,
 Sæpè rigens glacie vel niue canus eris.
 Cocta Ceres Tiburtino succedet Iaccho,
 Spumosaq̄ cadet fece peremta sitis.
 Parua queror: fugimus Phæbumq̄, nouemq̄, Sorores,
 Et mea Pegaseus deseret ora latex.
 Iam mihi Perrhebi nemora euanescere Pindi,
 Iam dubius condi nube videtur apex.
 Castalijs mihi triste vale iam redditur antris,
 Mæstaq̄, suprema vocis imago redit.
 Nubiferas gradiar sine te, FERNANDE, per Alpes,
 Dimidiaq̄, anima parte carebo meæ.
 Quaq̄, sacras vidi quercus, montesq̄, moueri,
 Me linquet Claria vox tua mista lyra.
 NATALISq̄, tui cultissima Musa Latinas
 Quàm procul heu nostrâ tendet ab aure fides!

Docta FAVORITI nobis mutescet arundo,
Tritaq̄, bucolicis labra canora modis.
Fata reluctantes rapiunt, ducuntq̄ volentes:
Non moror, austeram spontè vorabo viam.
Vos remanete, quibus pronâ fors annuit aure
Molliter in gremio posse cubare suo.
Viuite felices, auumq̄, agitate serenum,
Quæq̄, vehit vestras, prouehat aura rates.
Diuus ALEXANDER, Superùm iustissima cura,
Orbis amor, Romæ vita decusq̄ suæ,
Vincit ut eloquio, sic Nestora vincat & annis,
Utq̄, beat iuuenes, vos beet ipse senes.
Me mea fata trahant, casus retrahantq̄, per omnes,
Me ferus Arctoo demetat ense furor.
Me petat ipsa suis glacialis rictibus Vr̄sa:
Letus ALEXANDRO sospite cuncta feram.
Cumq̄, seuera meos euoluerit Atropos annos,
Letus ALEXANDRO sceptrâ tenente cadam.
Sospite ALEXANDRO mea molliter ossa cubabunt,
Atque fauilla leui nostra premetur humo.

IN